

FONTIonline

Sussidio documentale per le attività dell'ILIESI

Istituto per il Lessico Intellettuale Europeo e Storia delle Idee

Consiglio Nazionale delle Ricerche

[http://www.iliesi.cnr.it/fonti\\_online/index.shtml](http://www.iliesi.cnr.it/fonti_online/index.shtml)

Questo testo è disponibile su questo sito grazie a:

[Herzog August Bibliothek](#)

Postfach 1364

D-38299 Wolfenbüttel

Segnatura:

H: O 232.4° Helmst. (12)

A: 269.1 Theol. (17)

Cornelius MARTINI

Disputationum logicarum adversus Ramistas prima de subiecto et fine logicae  
(Helmstedt 1594)

Herzog-August-Bibliothek  
WOLFENBÜTTEL

269. 1 Theol.

Auftrags-Nr.: 5751 Film: 1

Disputationum Logicarum ad-  
uersus Ramistas

26. 17. 1737

P R I M A

*De subiecto & fine logicæ,  
Quam præside*

CORNELIO MARTINO  
ANDVVERPIO, PROFESSORE  
Logices in incluta IVLII  
publicè tuebitur

M. ADAMVS LVCHTENIVS  
*Huxariensis.*

— define veram  
Exspuere ex animo rationem : sed magis acri  
Iudicio perpende : & si tibi vera videntur  
Dede manus ; aut, si falsa hæc, accingere contra.



HELMÆSTADVI  
Excudebat Iacobus Laciüs, Anno M.D. IVC.

Martinus Cornelius  
HENRICO I V L I O, P Q:  
STV LAT O EPISCOPO HALBER-  
stadensi, Duci Brunsuicensi & Lunæburgensi &c.  
Domino meo clementissimo.

**H**uic illustrissime princeps, domine clementissime. Verum esse arbitror, ut & muneri suo recte unusquisq; prafit, & eius ratione cū reliqui, tum præferim ei, qui id demandarit, expedite reddere queat. Illud feci sedulò: hoc quoq; potero, cum à me exigetur: Nam & in officio sum, & non sine fructu auditorum me laborare sentio; quem unice specto, cui noctes & dies merito excubamus. Igitur postquam Iuuentuti in Logica instituenda à T. C. inclusa iulta appositus sum, non tantum ea, quae recte à Phil. Melanthone ex Arist. traduntur, ijs explicare consueui, quod ramen in primis facio, sed quoq; ubi usus est, opponere me omnibus soleo, qui & viris hisce, & veritati obstrepant, qua illud maiere cum malo publico fieri exterior, quam vulgo persuasum sit. Nolim ego finitri quicquam omnari, sed certè fieri non poterit, quin Philosophia contemptus, qua instruti penè iam annib; mille tam praelari extiterunt sapientes, magnam nobis calamitatem intentet, cui nos obtutam ire oportet, qui eas proficiemur scientias, que iniuriam nouatorum maximè sunt expertise. Inter quas cum Logica sit omnium ferè pessimè accepta, putauit esse mei officij, cum hactenus multa in Ramum & docuerim, & disputationem, ordine semel ex ipsis fundamentis Rami de Dialecticè opinionem examinare, cuius nunc primam disputationem edo, quam propterea, sicuti sequentes omnes T. C. nomini consecrare volui, quod hæc innidiam habitura videatur, que sicuti si sola sit, me ladere non potest, ita quando ealumniam fibi adsunget, haud difficulter innocentiam premiet, dum claram in famam eiusc; discipulos agendo, eam subuertere conatur. Nemine ego quidem istius animi novi, neq; quenquam futurum esse libenter, credo: si quis tamen se ostendet T. C. autoritatem sperabo nobis præsidio fore: quando enim hec facio, ea qua officij mei sunt facio, quod T. C. iuratus promisi. Deus Opt. Max. T. C. diu in columnem conservet.

T. C.

Obsequentiis.

CORNELIUS MARTINUS ANDUVERPIUS.

Thesis I.

 Vm propositum mihi sit, libellum P. Rami, qui Dialectica inscribitur, examinare; in quo ego, quod Logicum sit, quam minimum, quod verum, neq; multum neq; id quod est, satis constanter traditum inuenio, altius mihi quædam sunt repetenda, & res à capite quasi arcescenda.

2. Et primo quidem, Logicam siue Dialecticam quando dico (neque enim de vocabulis mihi contentio erit) nihil quod extra mentem sit intelligo, sed aliquid in mente, adeoque mentis habitum, qui cum *in mentis actus* definiri debeat, extra suū subiectum, vt esse non potest, sic neq; quæremus.

3. Atq; adeo hic in ipso vestibulo Rami se statim ostendit sapientia, qui contra clarissimum Scheckium, comparatione quarta, non Logicam tantum, sed & ipsam artem, animi habitum esse negavit. Et Beurhusius in defensione P. Rami artem, adserit, esse, etiam si à nemine discatur, quale monstrum rerum natura non patitur; ita enim accidens extra suum subiectum sit, cum tamen accidentis esse sit inesse.

4. Quin etiam, cum Ars idem sit illis quod scientia, nimirum necessarium fuerit, confiteri ipsam quoque scientiam esse extra mentem, quod si non minori absurditate, quam superius illud affirmari potest, videlicet in suo subiecto, id est, in mente, quæremus Logicam, & mentis eam habitum esse dicemus.

5. Sed cum mentis sint habitus plures, qualis hic sit, nobis deinde est considerandum, quod tum recte facturos confido, si primo de subiecto eius, siue materia circa quam hic habitus occupatus est differamus; deinde de fine, puta quare mens nostra hoc habitu informetur, quidue ex eo boni illi accedat.

A 2

6. Iis

6. Iis enim duobus cognitis, quid germanè sit logicum, & quomodo præcepta omnia in hac facultate informata esse debeant, facile erit iudicare, uti quoq; de genere, definitione, diuisione, de quibus omnibus controversia est.

7. Ex horum quippe neglectu turpis illa in Logicis Rami primarum & secundarum notionum confusio nata est; tum miserabilis illa præstantissimarum doctrinarum mutilatio, vt cadauer nobis Dialecticæ potius, quam Dialecticam seu Logicam reliquerit; Quia neq; in quem finem illa tradaret, neq; circa quæ, & quomodo, versaretur attendit.

8. De subiecto quidem, cuius primam mentionem feci, ita statuunt Peripatetici, esse illud res omnes, non quidem quatenus sunt res, sed quatenus secundis notionibus substant, ijs videlicet, quæ cognitioni nostræ ad veritatem adipiscendam inferuiunt.

9. Iam enim hoc in scholis tritum est, & ex doctissimo Zabarella disci potest, in omni doctrinæ subiecto, duo esse; subiectum & modum considerandi, quorum prius commune potest esse multis, sed per hoc posterius ad unam certam doctrinam restringitur.

10. Cum igitur & Logica circa omne ens versetur, & Metaphysica, tum nulla sit vel scientia, vel ars, quæ non aliquā sibi Entis partem habeat substratam, nisi scias, quomodo Logico, quomodo reliquis subiectiatur, fieri non poterit, quin foedè labaris.

11. Id quod Ramo euénisse manifestum est, qui cum legisset, Ens qua Ens Metaphysices subiectum esse, neq; differentiam inter Metaphysicen & Dialecticen sciret, eo vesaniæ prolapsus est, vt Ens, qua Ens, subiectum Logicæ esse statueret, & hanc eandem stoliditatem Aristoteli quoque adfingerebat.

12. Verba eius sunt schol. Dial. lib. 2. cap. 7. Sed defi-  
nē

ne satis, huic coniuncta quæstio magna est de subiecto Dialecticæ, quid sit, quod afferendo tractari possit, omnia dico, nihil excipo, atq; id Aristotele autore confirmo. Atq; illud nimirum est, primo quarti Philosophie, Ens quatenus Ens, ab Aristotele Dialectice subiectum: immo verò non Ens.

13. Cum ipsa reduplicatiua, (qua Ens) aurem ei vellere potuisset, quæ id clamat, sub nulla alia consideratione quam Entium in Metaphysicis considerari, quam sub sola Entis natura.

14. Vti si doceat Physicus, corpus mobile in sua scientia considerari, qua est mobile, sciam ego, non alia id ratione ab illo fieri; neq; igitur vt substantia est, vel ens, hæc enim Metaphysico relinquit; neque vt subiectibile vel prædicabile, quod Logici est; neque vt mensurabile, quod Mathematici: sed simpliciter vt mobile.

15. Sic si subiectum suum considerat Logicus, quatenus est tantum; id est, entia, quatenus sunt entia, vel res quatenus sunt res; hæc enim omnia æquipollent; sub alia ratione nulla ab eo considerari debebunt.

16. Sed ea vis est veritatis, vt vel inuitis ijs qui maxime eam opprimere conantur, se vindicet, quod etiam hic euenit: Ramus enim in principio Dialectices, quasi omnium oblitus, quæ in scholis dixerat, res illas quas logico substernit, non sub natura Entis, sed Argumenti considerare occipit.

17. Et scholia stes eius Beurhusius, in prima Pædagogiae parte, non statuit Ens esse genus generalissimum in topicis, sed Argumentum. Hanc enim adfert causam discipulo querenti, cur genus nullum, definitione Argumenti, comprehenderit Ramus? Quia ipsum argumentum, (inquit,) in logica inuentione generalissimum & summum genus est, ideoq; eius nullum genus esse potest.

18. Nihil hic ad rem facit quod erret Beurhusius, cum argumenti talis, si quod esset, genus, foret secunda notio; sed hoc obseruandum est, neq; ens, neque entis aliquā speciē, in logicis à Ramo tractari, qua sunt entia, quod nimis ridiculē in scholis profitetur, sed qua argumenta tantum.

19. Nisi fortè Ramo ens & argumentum conuertuntur, vti hæ enunciationes illi sint æquipollentes. Deus est ens entium; Et, Deus est argumentum argumentorum. Item aliquod Ens currit; & aliquod Argumentum currit.

20. Quod si non potest, vel sine risu proferri, ridiculus profecto est Ramus, qui ens qua est ens subiectum logicæ constituat.

21. Ut nihil de non ente hic agam, quod & ipsum in partem hæreditatis subiecti adsciscitur: Id enim cum non sit ens, quomodo in Logicis vt ens considerari dicetur? quasi tu dicas, quod non est, nulla alia ratione, nisi qua est, considerandum esse in logicis. Auditum admissi risum teneatis amici? Quin tu eadem ratione bonum iubes considerari qua est malum? verum qua falsum?

22. Deinde meminisse debebat Ramus, sive toties decantatæ & ad nauseam vsq; in scholis inculcatæ Methodi, quam omnibus rebus, quas facile & perspicuè docere velimus adhiberi iubet, vt definitio quæ generalissima sit præcedat, sequatur distributio. &c. Eam hic, si verum dixit, *ἀλόγως* neglexit.

23. Subiectū enim videlicet Ens, illi definiendum erat; Vel si propter vniuersalitatem definiri nequibat, saltem describendum. Deinde generales eius affectiones, quæ scilicet Enti qua Ens, id est, quæ rebus ipsis qua sunt res conueniant. Postea ipsum Ens in partes suas tribuendum, nihilq; adeo quod heterogeneum esset addendum, vti ratio Methodi Ramisticæ hic non violaretur.

24. Quod

24. Quod si non solum non facit Ramus; Verum si faceret, non Logicam, sed Metaphysicam traderet, cum res ipse in Logicis, etiam Ramistarum testimonio (Beurhus. in Pædag. lib. I. cap. 2. fol. 55.) non tradantur: turpiter deceptus est Ramus, qui Ens qua est Ens subiectum Logicæ statuerit.

25. Vbi si quis velit, obiter ineptam illorum hominum contradicentiam obseruet, qui cum negent res in Logicis tractari, tamen quasi oscitantes, sui oblii, profiteantur, res quatenus sunt res, à Logica considerari, id enim sonat Ens qua est Ens, quia res & Ens sunt conuertibilia.

26. Nam quod lib. Schol. 4. cap. 5. reiectis decem generibus substantia, quantitate, qualitate. &c. afferit Logicerum argumentorum genera, caussas, facta, subiecta, adiuncta, dissentanea, comparata, nominum rationem, divisionem, definitionem, testimonium, primas Entis differentias & primas species esse tam est putidum & absurdum, vti seueram castigationem mereatur, de quo tamen vberius nobis dicendi imponetur necessitas.

27. Quum itaq; Ens subiectum Logicæ non sit, quatenus est Ens, seu quod idem esse iam aliquoties monuimus, cum res, quatenus sunt res, à Logico non considerentur, & tamen Logica circa omnia Entia, siue omnes res versetur, videndum est, quis sit modus considerandi, quo Logica à reliquis scientiis & artibus distinguitur.

28. Eum tibi determinat Ens rationis, sive secundi mentis conceptus; hactenus enim Logicæ res subiectiuntur, quatenus secundis illis notionibus, ad veritatem, qui finis est Logicæ informantur.

29. Et ut semel dicam, omnes omnino res quæ in tota rerum natura sunt, siue ex pluribus tribui possint siue non possint, siue substantiæ sint, siue accidentia, siue corpora, si-

A 4 ue in-

ue incorporeæ, sine elementa, siue elementata. Postremo Petrus, Iohannes, Andreas, Bucephalus. &c. quicquid est, id omne Logico pro subiecto est: non tamē Petrus quatenus est Petrus, neq; Andreas quatenus Andreas, neq; quatenus sunt homines, neq; quatenus animalia, neq; quatenus corpora, neq; quatenus substantiæ, neq; quatenus Entia, à Logico considerantur, sed ratione secundarum notionum, quatenus in Enunciatione, vel subiecti vel prædicari possunt, quatenus naturam in Syllogismo, maioris, minoris, & medij induere, &c. quod rebus non evenit qua sunt res, sed quatenus à mente & arbitrio nostro illis id imponitur.

30. Hoc, Si recte considerarint Ramistæ, multis opinionum monstris, libros suos refertos esse intelligent, & desinent somniare, in Logicis generalia, in reliquis autem artibus specialia tradi, imo non tantum generalia, sed etiam specialissima pro subiecto sunt Logicæ. Versatur enim circa omne Ens.

31. Et pudebit eos tandem commenti, quo si dis placet motum, locum, tempus, res realissimas ad Logicam propriè pertinere absurdè comminiscuntur.

32. Quin age si lubet, ad tribunal Rami prouocemus, præsideat ipse, vt ex illius iure manu consertum veniamus, & ex lege  $\pi\alpha\tau\delta$   $\alpha\tau\tau\delta$  agemus, credo euincemus, argumentorum Ramisticorum doctrinam, axiomatum item, tum Syllogismi & Methodi, è logicis ejiciendam esse.

33. Nam, quod Enti non conuenit qua est Ens, id in illa doctrina, quæ Ens qua est Ens considerat, tradendum non est, sed argumentum esse, enunciatum, Syllogismum. &c. Enti non conueniunt qua est Ens. Ergo in ea doctrina tradenda non sunt.

34. Et quum profiteatur Ramus, Logicam esse illam doctrinam, quæ Ens qua est Ens considerat, necessario è Logico

gico agro illa ejicienda erunt, perieritq; nobis Rami Logica, ipso ius dicente.

35. Puto ab omnibus percipi iam, non recte de subiecto. Logicæ sensisse Ramum, neq; eos qui cum Ramo faciant, cui demonstrationi propterea diutius immorati sumus, quod ea res bene intellecta, nobis ad naturam Logicæ intelligendam prorsus futura sit necessaria.

36. Et ex hoc ipso inuiti nobis daturi sunt, aliam esse scientiam realem, quæ Ens, quatenus Ens, considerat, quam Peripatetici Metaphysicen nominant, & locos plerosque non primario & propriè, sed secundario & precario ad Dialecticum pertinere, de qua realibi.

37. Quare de subiecto satis nobis dictum est, finem nunc videamus, quem nobis modus considerationis eius recte demonstrat.

38. Quum enim secundæ notiones in Logicis primis implicantur, propterea ut instrumenta quedam sint, nos iuuantia ad rerum notitiam adipiscendam; ad eundem finem cum mente omnino tendere debent: sequius enim si fiat, & ipsæ inutiles sint, & mens magis quoque erret.

39. At ille finis est veritas, congruentia scil. rationis nostræ, seu intellectus cum rebus, in qua mens acquiescit & perficitur. Quare Logicæ finem primū principalem statuimus veritatem.

40. In multis autem quum se prodat Ramus, tum hīc quoq; se nobis ostendit, quando hunc Logicæ finem esse negat; quod si de sua Dialectica dixit, verè dixit. Nam ab ea veritatem frustra quæras.

41. Operæ premium tamen est aduertere, quibus rationibus nitatur, quod veritatem finem Logicæ esse negat.

42. Veri, inquit, & falsi affectionem Aristoteles facit enunciati, quæ particula est Dialecticæ de multis vnicâ;

Tu

*Ta autē (inquit in defensione, si diis placet, Aristotelis contra Scheckium, comparat. 2.) facis communem totius Dialecticę: at qui tota ars ex totius corporis non membris unius natura definita est.*

43. Quod hic vocat artem ex totius corporis natura definiri, explicatius multo & verius docet Scholarum lib. 2. cap. 5. *Sic enim (verba eius sunt.) decet artes ex suo fine definiri, eoque, ut statim sequente capite profitetur, ipse eam definit artem bene differendi, quem Dialecticę verum finem esse adserit.*

44. Accipimus, quod concedit nobis Ramus, & ex eius verbis, quae in eodē lib. schol. cap. 6. sunt, argumentamur: *cuius gratia fiunt* (verba sunt Rami) *& quo referuntur omnia, ijs est finis.* Veritatis autē gratia omnia fiunt in logicis, & ad eā omnia referuntur, vt videlicet & adsequamur eam, & commodè adsequamur. Ergo veritas Logicę est finis.

45. Bene autem differere, actio est, quæ finem respicit, non ipse finis; quod ipsum bene differere à veritate determinatur, tanquam medium à suo fine, vnde enunciationes illæ perfectè bonæ sunt, quæ sunt veræ, & consequentia Syllogismi ea legitima, qua ex veris non sequitur falsum.

46. Neque enim aliter tu mihi rationem reddere potes Syllogismorum formæ, quid sit, cur Syllogismus primæ figuræ in minore negans non concludat: cur in secunda ex puris affirmantibus nihil efficiatur: cur tertia uniuersalem complexionem non admittat; nisi quia ex veris falsum efficeretur: deniq; totus ordo Syllogisticus, tota mēdorūm ratio & numerus à veri collectione dependet.

47. Si igitur veritas ipsa est, ad quam omnia præcepta in Logicis collineant, ad quam examinantur, adeoq; totum tuum differere ineptum sit futurum, nisi ad cognitionem veri te ferat, veritas finis erit Logicę, & stulte ab ijs fieri existi.

existimandum est, qui contra veritatem hic pronunciant.

48. Sed tamen argumentum quoq; Rami videamus, an illud alicuius sit momenti, quod tam confidenter summo viro Scheckio opponere ausus fuit: Veritatem videlicet esse affectionem enunciationis, quare Logicę finem non esse.

49. Hanc litem ipsa ratio omnium hominum iudicabit, etiam Ramistarum, nisi illam eiurare sibi propositum habent.

50. Tres esse mentis nostræ operationes, etiam tyronibus innotuit, simplicium apprehensionem, earundem compositionem & discursum; quarum prima, quanquam suam habeat veritatem, quando talem videlicet conceptum quis rei habet, qualis est res, tamen, quia si simplicem hunc conceptum proferas, neq; verum dicturus sis, neq; falsum, eum hic præterimus.

51. In secunda autē mentis operatione, in qua notio cum notione componitur, nascitur hæc, de qua loquimur, veritas, quando intellectus componenda componit, & disiungenda disiungit: vel falsitas, quando aut disiungenda coniungit, aut coniungenda disiungit, quam veritatem in dando Scholastici vocant. Hanc enunciationis esse adiunctum, Ramo concedimus, & eandem Logicę finem profiremur.

52. Dupli enim modo se illa habet veritas. Quū enim terminus cum termino enunciatiuè componitur, resultat non nunquam enunciatio talis, quæ per seipsam statim atque intellectui obijcitur nota sit, de qua non dubitet, neq; circa eam erret, qualia sunt principia, quæ Peripateticis Axiomata seu dignitates dicuntur, de quibus porrò intellectus nihil querit, quippe qui in veritate, perfectione sua, acquisit.

53. Aliquando autē istiusmodi enunciationes ex complexi-

One terminorū simpliciū oriuntur, de quarum veritate mens dubitat, & tam diu dubitat, donec discursu & ratiocinatione per notiora alia cognitionem quoque eius ubi comparet.

54. Tales autē sunt ex veritates, quæ de conclusionibus sunt, vnde id sole meridiano clarus est, totum discursum esse veritatis gratia, quo omnia in discursu referuntur, id autē quod tale sit, Ramus finem vocat. Veritas igitur discursus est finis.

55. Quare ut Ramo ad bellissimum argumentum respondamus, negamus illi propositionem, & ne diu vagetur, ad Syllogismum eum remittimus, in quo vnica conclusionis Veritas finis est totius Syllogismi.

56. Postremo ut hoc labore defungamur, verba sunt Beurhusij in Pædagog. Log. part. I. cap. 2. *Iudicium*, inquit, est de disponendis argumentis scil. illis inuentis ad bene indicandum, ut primum è nudis argumentis efficiantur axiomata, hoc est, sententia, quæ si manifeste sint suis legibus indicantur, si dubiae, questiones fiunt, quæ ad Syllogismi tribunal transeunt, ubi per tertium argumentum rursus è generali inuentione repertum concluduntur.

57. Nonne hic idem dicit Beurhusius quod nos, opus habere enunciationes quasdam syllogismo, quia dubiæ sint? Quid autem tibi dubium est, nisi illud de cuius veritate non liquet? Veritatis igitur indagatio, etiam te iudice, finis erit syllogismi, vt sit affectio enunciationis.

58. Quare quum de subiecto nobis liqueat, & de fine ad quem tendant omnia illa quæ sunt Logica, in quibus à P. Ramo turpiter erratum est, iam facile erit demonstrare, quod in prima thesi diximus, in Rami libello Dialectico, Logicum quod sit, quam minimum inueniri veritatis autem neque multum, neque id quod est, satis constanter traditum esse.

Quod cum Domino adiuuante sequentibus disputationibus fiet.

F I N I S.